

occasionem successoribus amputandum, expedit, ea, que geruntur, certis litterarum patrocinij perhennari. Noverint igitur tam posteri quam presentes, qui cum religiose domine sorores, priorissa et conventus dominarum sancti Petri iuxta pontem Reni civitatis Constanciensis hactenus proprio sacerdote caruissent ac etiam per alios quantum ad officium misse rarius fuerint consolate, eedem sorores inter se convenerunt et, diligenti deliberatione prehabita, ordinaverunt, habere proprium de cetero sacerdotem, ad cuius sustentacionem et prebendam perpetuam ego magister Bertoldus predictus, de consensu honorabilis in Christo abbatis et conventus monasterij de Crücelino, trado¹ prefatis sororibus domum meam lapideam, sitam in vico, qui dicitur: [in] „der Webergasse“, conliguam a superiori parte domui allaris sancti Cünradi, ab inferiori vero parte domui quondam Cünradi, dicti Sumbringer, perpetuo possidendam, ita tamen, quod annis singulis in festo Nativitatis domini honorabilibus viris, abbati et conventui monasterij de Crücelino predictis in una libra cere nomine census, a quibus eadem domus hactenus fuerat pro dimidio fertone cere censualis. Item trado predictis sororibus ad sustentacionem et prebendam dicti sacerdotis centum modios tritici mesure Constanciensis, recipiendos de prefatis dominis, abbate et conventu monasterij de Crücelino supradicti spacio quinque annorum pro quolibet anno viginti modios tritici recipiendos, secundum quod et michi tenebantur. Item lego et dono sepedictis dominabus fructus prebende mee Constanciensis, michi post mortem meam pro anno gracie debitos, ad sustentacionem prefati sacerdotis, volens, quod iam de predictis centum modijs tritici et de fructibus antedictae prebende mee possessiones et redditus comparentur ad usus et ad melioracionem prebende sepedicti sacerdotis, ita quod ipse domine nichil unquam sibi approprient de predictis rebus vel usurpent. Volo etiam, quod priorissa et conventus predictarum dominarum, vel maior pars conventus cum ipsa priorissa possint et debeat dumtaxat ydoneum iuxta suum votum assumere seu eligere sacerdotem, et assumptum, quamdiu voluerunt, retinere, eo salvo omnino, quod sacerdos, qui pro tempore fuerit, per ipsas dominas assumptus seu electus, ordini vel domui non sit astrictus. Debet etiam idem sacerdos cotidie missam legere vel cantare dictis dominabus in capella earundem, sicut tunc ipsis visum fuerit opportunum. Volo etiam, si sepe dicte sorores proprio sacerdote per tres menses continuos quocumque modo

caruerint, extunc prefata domus mea lapidea ad supradictos dominos, abbatem et conventum de Crücelino libere transeat et revertatur, et quod ipse domine ad satisfactionem et restitutionem dictorum centum modiorum tritici et omnium eorum, que ratione dicte prebende mee ad ipsas devenerunt, capitulo ecclesie Constanciensis teneantur. Nos quoque... priorissa et sorores supradicte deputamus et donamus memorato sacerdoti pro sustentacione et melioracione prebende sue redditus et usufructum possessionum nostrarum, quas habemus in Ramshain. Promisimus etiam nichilominus, super hoc corporali prestito sacramento, omnia supradicta rata et firma inviolabiliter observare, et quod per nos in posterum recipiende hoc ipsum iurare teneantur. In cuius rei testimonium et evidenciam presentes littere ad petitionem sepedicti magistri Bertoldi et nostram sunt sigillorum reverendorum in Christo capituli Constanciensis, abbatis et conventus de Crücelino, officialis curie Constanciensis, nostri et prenominati magistri Bertoldi de Lützellenstetten, munimine communitate. Nos, capitulum ecclesie Constanciensis, officialis curie Constanciensis, abbas et conventus monasterio de Crücelino, et prior fratrum Predicatorum domus Constanciensis predicti, omnia premissa de scitu et conensu nostro facta fore, presentibus profiteamur et in evidenciam et testimonium eorundem sigilla nostra de jussu nostro speciali ad petitionem honorabilis viri, magistri Bertoldi de Lützellenstetten, canonici Constanciensis prefati, et dilectarum in Christo priorisse et conventus sancti Petri predictarum presentibus duximus appendenda. Datum et actum Constancie anno domini millesimo tricentesimo decimo, tercio idus Junij (11. Juni), indictione octava.

Constanzzer Copiebuch 8 (1346).

Constanz ad sanctam Catharinam (f. g. Hofinger Kloster).

Von den Urkunden dieses Frauenklosters hat Warmor in seiner geschichtlichen Topographie von Constanz S. 355 flg. aus dem noch vorhandenen Archive des Klosters die unter angegebenen citirt. Davon sind auch einige abgeschrieben im Karlsruhe' Archive, theils in den Constanzzer Klosteracten, theils in dem Copialbuche des Domstiftes Constanz Nr. 8. Warmor führt an: Urkunde vom 15. April 1257, vom 31. Juli 1266, vom 6. Febr. 1277. Entscheidung eines Processes zwischen den Hofinger Klosterfrauen und dem Präbendar Hainke. Eine Urkunde vom 19. Mai 1286 (Wyl betreffend), vom 19. (28.?) Febr.

¹ et trado steht in der Hf.